871
9 E.Yj

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/quaestionesennia00jord

QVAESTIONES ENNIANAE

H. IORDANI

DISSERTATIO EDITA

AD CELEBRANDAM DIEBVS 21. 23 M. MAII 23 M. IVNII MEMORIAM
VIRORVM INLVSTRIVM

CAELESTINI DE KOWALEWSKI
IACOBI FRIDERICI DE RHOD
FRIDERICI DE GROEBEN
IOANNIS DITERICI DE TETTAV

REGIMONTII
PROSTAT IN AEDIBVS HARTVNGIANIS
1885

871
E. Y

QUAESTIONES ENNIANAE

Ennii versus ex annalium primo, quibus Remi Romulique de urbe condenda certamen edissertatur, ne nunc quidem ita eduntur, ut critico munere supersedere possit si quis primario hoc testimonio recte uti voluerit. ac duae quidem sunt causae errorum ad hunc usque diem propagatorum: discrepantia codicum tullianorum quibus versus illi traditi sunt haud volgaris et rerum quas attigit poeta ignorantia editoribus, qui ne Dionysium quidem Liviumve aut Ovidium videntur evolvisse, communis.

primum absolvamus de codicibus. eorum notitiam halmiano librorum de divinatione exemplo debemus: sunt autem vossiani duo (A et B), heinsianus (H), vindobonensis (V); accedunt quorundam recentiorum (z) testimonia selecta. in his igitur codicibus Ennii versus ad hunc modum scripti leguntur (de divinatione 1, 48, 107. 108): *itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure*

curantes magna cum cura tum cupientes
regni dant operam simul auspicio augurioque.
in monte Remus auspicio se devovet atque secundam
solus avem servat: at Romulus pulcher in alto
quaerit Aventino, servat genus alte volantum.
certabant urbem Romam Remoramne vocarent:
omnibus cura viris uter esset induperator.
expectant veluti consul cum mittere signum
volt: omnes avidi spectant ad carceris oras,
qua mox emittat pictis e faucibus currus.
sic expectabat populus atque ore timebat
rebus, utri magni victoria sit data regni.
interea sol albus recessit in infera noctis.
exin candida se radiis dedit icta foras lux
et simul ex alto longe pulcheruma praepes

---

1) *euratim* H || 3) *devovet atque* B, *devoveratque* (vel — *quae*) ceteri || 4) *avem* B, *autem* ceteri || 6) *rem**ne* B, *remoramneque* H || 7) *indit perator* H || 8) *committere* AB^2 || 9) *vult* BH || *audi* H || *oris* V^1 || 10) *quam* z || 11) *ore timebant* H, *ora tenebat* z || 13) *in* om. A^1 || 14) *shux* A ||

laeva volavit avis: simul aureus exoritur sol.
cedunt de caelo ter quattuor corpora sancta
avium praepetibus sese pulchrisque locis dant.
conspicit inde sibi data Romulus esse priora
auspicio regni stabilita scamna solumque

alter igitur e vossianis (B) recte solus dedit illa v. 3 *devovet atque,* v. 4 *avem,* v. 16 *avis simul* (nisi quod corrector heinsiani ei adstipulari videtur); quare vix dubitaveris quin idem, quod versum 19 recte claudit, *priora,* e fonte puro solus servaverit, at ceterorum *propriam,* quod nec metro satis facit nec sensui, pendeat e vitio scripturae haud insolito illo, quo *prius prior, propius propior* solent inter se permutari. quodsi quo cognationis vinculo ei de quibus supra dixi codices coniuncti sint quaesiveris, omnes quidem ab eodem archetypo eoque satis perite scripto pendere, verum vossianum illum haud uno loco inveneris ceteris longe praestare. veluti hic librarius solus verum servavit in Ciceronis versibus qui extant 1, 11. 12, v. 50, *vitare* (*vire* scripserat prius), ubi *vir, viri* ceteri; item solus *duas* 1, 41, 91, ubi *die* ceteri; solus *domi* 1, 43, 95, ubi *dum* ceteri; solus antiquiorum certe librorum inter librarios *necesse est* in versu Ennii 2, 62, 127, ubi *haec esset* ceteri praeter erlangense exemplum, in quo idem fertur legi quod dedit ille. easque lectiones concesseris ita comparatas esse, ut coniectura restitutas esse omnes non possis contendere. accedit quod in vocabulis ad normam antiqui moris scribendis aliquotiens pari idem laude donandus est: veluti fertur *oraclis, oraclo* formas, quas Ciceronis tempore solas fuisse in usu videntur docti ignorare, solus servasse 2, 56, 115. 116; item solus formam genuinam, verum eandem nostris criticis suspectam *quodannis* 1, 57, 130; denique aliquotiens *quom, quoius* similia, quod genus scripturae pro libito nunc fere partim spernuntur ab editoribus partim foventur. ea est igitur vossiani libri huius quamvis artis cum ceterorum prole vinculis conexi praestantia, ut quantum quidem quaeritando invenerim, principem facile inter ceteros locum occupet. quo certius mihi videtur esse, Lucianum Muellerum nuperum Ennii editorem, cum spreto vossiani testimonio (quod quidem vitae Ennii p. 154 ne commemoravit quidem) lucretianum vocabulum *propritim* intulerit extremo versui 19, graviter lapsum esse. ad sententiam vocabulo *priora* comprehensam infra redeundum est. eodem pertinet quod versu 8 *cum mittere* eiusdem vossiani prima manus et heinsianus codex recte tradidere: altera manus illius et vossianus alter cum *committere* substituere, unius quod visum est vocabuli medelam sectati sunt. quare qui *quom mittere* textui inseruere horum librariorum conatui sese mancipantes, archetypam certe formam non restituere. in ceteris archetypi codicum fide standum est: de qua quid iudicandum sit, nunc videamus.

avem servandi arte, quo vetere artis vocabulo nostrum consilio bis usum esse apparet v. 4. 5, gemini fratres divini numinis mentem captabant. quam artem quo tempore exercitarint et quo loco, primum quaeritur. et de tempore quidem Niebuhrii errorem missum faciamus:

16) *et* post *aris* inserunt AHV¹ || 17) *quatuor* BHV² || 18) *locos porro praepetes et augures appellant et Ennius in annalium primo dixit praepetibus sese puleris* (sic) *locis dant'* Gell. 7, 6, 9 || 19) *priora* B, *propriam* ceteri ||

qui cum diem noctemque utrumque in eo negotio consumpsisse sibi persuasit, neque Ennii verba intellexit neque sollemnem auspiciorum morem respexit neque vero rationem habuit eorum scriptorum, qui ennianis gemina tradiderunt. et ex his quidem Dionysius 1, 86 testis est avum gemellos iussisse ἐξ ἑωθινοῦ καθέζεσθαι χωρὶς ἀλλήλων, ἐν αἷς ἑκάτεροι ἀξιοῦσιν ἕδραις, Ovidius autem Fastorum 4, 815 s. *alter*, inquit, *adit nemorosi saxa Palati, alter Aventinum mane cacumen adit.* sequitur apud Ovidium duodecim avium signum et ita sequitur, ut de magno temporis intervallo cogitari plane non possit: id quod Dionysius expressis verbis persecutus est l. s. s.: ὡς δὲ τὰς προσηκούσας ἕδρας ἔλαβον ὀλίγον ἐπισχὼν χρόνον ὁ Ῥωμύλος. . . πρὶν καὶ ὁτιοῦν σημεῖον θεάσασθαι πέμψας ὡς τὸν ἀδελφὸν ἀγγέλους ἥκειν ἠξίου διαταχέων ὡς πρότερος ἰδὼν αἰσίους οἰωνούς. atque hi quidem dum paululum commorantur in itinere, Remo sex aves apparuere; μετ' οὐ πολὺ δὲ nuntii eum adeunt Palatinumque in montem traducunt. certum est igitur annalium scriptores eos, unde pendent Ovidius Dionysiusque, geminos fecisse et avem servantes tempore matutino et augurium accipientes paulo postquam inierant. servare autem solitos esse magistratus populi romani postquam nocte silentio surrexerunt sub ipsum orientis solis tempus, testimoniis constat certissimis. hunc autem morem et pontificum iussu et consuetudine palam pervagata sollemnem siquis Ennium dixerit vel inscitia vel pro libito immutasse atque pessum dedisse, is nescio an omnium, quicumque religionem hominum romanorum e monumentis historiarum noverint, unanimi consensu condemnetur. atqui Ennius docet servasse geminos eodem tempore, quod matutinum fuisse neminem fugere potuit; prima autem luce, dum *sol albus* in infera noctis abiret, comparuisse Romulo aves duodecim eodemque temporis momento globum solis in caelum ascendisse.

haec omnia et inter se et cum annalium narratione tam clare consentiunt, ut prorsus certum sit solem illum album esse lunam. *albus* autem sol cum *candidae luci* ac deinceps *soli aureo* ex adverso comparebat, lectori omnis de illo dubitatio adempta erat. quod contra ubi albescendi notio omissa candidae lucis oppositione inseritur, consentaneum est illam solis orientis radios significare. rectissime ita iudicabat Merula neque quicqam effecere vel Bergkius programmate halensi a. 1860 (quod inter Opuscula nunc legitur 1, 235 ss.) vel qui caeco consilio in eius partem concesserunt, cum simpliciter negarunt posse lunam dici solem album. et vide mihi quo isti delapsi sint cum versum 13 traiecerint post v. 2. fratres igitur gemini auspiciorum negotio intenti sunt *post solis occasum* in eoque desudarint oportet ab occaso sole ad orientem. at enim *post mediam noctem* ad hoc negotium exequendum surrexisse silentio magistratus populi romani, ut supra dixi, ea ipsa testimonia eaque in vulgus nota adstruunt quibus usus est Bergkius Varronis apud Gellium 3, 2, 10 et apud Verrium Flaccum Festi p. 348. quodsi quis ante mediam noctem, hoc est post solis occasum, surrexisset auspiciumque deinceps oriente sole accepisset, ne eodem quidem die ritum auspicandi consummasset, quod vitio futurum fuisse consentaneum est. ac nequis eorum decretis, qui Bergkii iudicium calculo suo comprobavere, in errorem inducatur, ipsius verba adscribam Op. 1, 140: 'Romulus et Remus, ut certamen de summa re componerent, nocturno tempore tabernacula capiunt' (immo *dant operam simul auspicio augurioque* iam ante solis occasum, dein, postquam *sol albus recessit in*

infera noctis, amplius operam dant ad orientem solem); 'hi dum aves servant, civium animi expectatione suspensi sunt, Romulus autem, ubi primum sol exoritur, duodecim vultures conspexit laetusque imperio potitur.' et ad firmandas id genus ineptias continuo addidit confictam audacter secundi versus interpretationem eiusmodi: nihil aliud esse illud *dant operam* e. q. s. 'quam cogitavisse eos urbem auspicato condere et omnia rite praeparavisse, quemadmodum Cicero de rep. 2, 3, 5 de ipso Romulo: *qua gloria parta urbem auspicato condere et firmare dicitur primum cogitavisse rem publicam.*' quasi vero haec cogitatio et illa operatio eadem sit! quod addit idem, potuisse a librariis versum traici in locum alienum id nec eget demonstratione neque facit ad commendandam hanc traiectionem, quae sensum omnem aufert.

sed longe impeditior altera est quaestio quae est de loco augurii. ad cuius solutionem tentandam priusquam accedam, ipsius augurii ratio accuratius enucleanda est. in ipso igitur orientis solis momento, de quo optime exposuit Nissenus Templi p. 168 s., comparent aves duodecim: nulla Remo comparuisse dicitur, neque facile suspicere in eis quae versum 20 sequebantur signi a Remo observati mentionem esse iniectam. quanquam quis spondeat non dictum esse eum obvervasse easdem aves post Romulum? sed ea observatione nil mutabatur de victoria fratris. iam si annalium narrationem de hac quoque re comparaveris, invenies in eis omnibus longe aliter rem esse informatam. ac Dionysius quidem 1, 86 Liviusque 1, 6 s. priores Remo aves, sed easdem numero minore visas esse, maiore quo victoriam reportarit deinceps Romulo, sex illi vultures huic duodecim, concorditer tradunt. quae cum his fabulis coniunxere, Remum ludibrio habitum esse a Romulo, rixam exortam esse inter utriusque fratris adseclas in eaque occubuisse Remum, eis nec additur quicquam rei summae nec demitur. tertius eiusdem aetatis testis Ovidius an prorsus eadem acceperit, licet dubitare. nam cum Fastorum 5, 150 s. de saxo aventinensi haec dicit:

huic Remus insiterat frustra, quo tempore fratri
prima Palatinae signa dedistis aves

sane incertum est utrum ille in Aventino nulla omnino acceperit signa, an acceperit debilia. sed is est in hac geminorum fabula augustae aetatis testium consensus, ut alterum hoc longe sit probabilius. sed hunc annalium a poesi enniana dissensum ne iusto maiorem esse censeas, reputes velim contentionem fratrum etiam in annalibus dici inde profectam esse, quod teste Dionysio 1, 86 avus eos ad hanc legem dimicare iusserit: *ὁποτέρῳ δ'ἂν οἱ ὄρνιθες πρότερῳ κρείττους γένωνται, τοῦτον ἄρχειν τῆς ἀποικίας*, quo facto Remus traductus in montem Palatinum fide optima e Romulo quaesivit *σῦστινας οἰωνοὺς ἴδοι πρότερος* (hoc enim ex chisiano exemplo Kiesslingius suo iure recepit, *πρότερον* ceterorum nihili est). ambiguitas igitur legis illius, quae septimi saeculi argutiis procusa est, apta est ex simplici antiquiorum scriptorum testimonio, victoriam ei fuisse decretam cui priori avium earumque duodecim signum obvenisset. et hi quidem soli visi sunt rem decidere etiam ipsis saeculi septimi auguribus Messallae (apud Gellium 13, 14, 5) et Vettio (apud Censorinum 17, 5). vultures sex qui Remo priores visos esse finxerunt, ei profecti sunt a nomine remorum avium *quae acturum aliquid remo-*

rari compellunt (Fest. epit. p. 276). apparet autem stetisse ab illorum testium parte Ennium poetam, apparetque clarissime quam apte is dixerit:

conspicit inde sibi data Romulus esse priora
auspicio regni stabilita scamna solumque

priora enim ipsi fundamenta regni iacta esse significavit, quippe qui prior avium duodecim signum animadvertisset: *priora* autem illud codicem vossianum alterum solum cum aliis haud paucis vidimus ex archetypo libro salvum servasse, nauci esse quod ceteros occupavit *propriam* supra demonstravi.

a ratione augurii ad locum transimus. rursus Ennium suspicamur certe ab annalium recentium argutiis immunem esse, in quibus omnibus legebatur Palatinum Romulo, Aventinum Remo sedem captandi augurii fuisse: nempe avito illis decreto obsecutis, ut *χωρὶς ἀλλήλων ἐν αἷς ἑκάτεροι ἀξιοῦσιν ἕδραις* augurio operam darent (ita Dionysius 1, 86 similiterque Plutarchus Rom. 9). sed tamen erunt qui vereantur, ne hanc locorum distributionem iniuria generi argutiarum adscribamus. nam non solum annalium eam scriptores prodidere, verum quod maius est disciplinae auguralis interpretes. causam enim Aventini montis a pomerio urbis exclusi Messalla augur consul a. 701 (apud Gellium l. s. s.) scripsit eam *quod in eo monte Remus urbis condendae gratia auspicaverit avesque insitas habuerit superatusque in auspicio a Romulo sit.* accedit quod auguris Romuli memoriam Palatino adsignatam esse decretis conlegii pontificum *auguratorium* regionis decimae (de quo vide quae dixi Topographiae 2, 512) et lituus Romuli in palatina saliorum curia repositus demonstrant. gravissima haec dixeris esse argumenta quibus palatinum Romuli augurium longe et sinceriore e fonte et antiquiore annalibus Ennii provenire constet. quod si esset, plane desperandum foret de loci enniani explicatione. verum hanc totam augurum pontificumque saeculi septimi octavique doctrinam ab eorundem scriptorum narrationibus pendere, unde Dionysius Liviusque et Ovidius sua deprompserunt, non solum suspicionibus vanis coniectamur verum praeclaro nisi contendimus testimonio. nam Censorinus diei natalis 17, 14 *quid apud Varronem,* ait, *legerim non tacebo, qui libro antiquitatum duoetvicensimo ait fuisse Vettium Romae in augurio non ignobilem, ingenio magno, cuivis docto in disceptando parem: eum se audisse dicentem, si ita esset, ut traderent historici de Romuli urbis condendae auguriis ac duodecim vulturis, quoniam CXX annos incolumis praterisset populus romanus, ad mille et ducentos perventurum.* non pugnat igitur Ennius cum fama pervetere, verum solus eiusdem habendus est testis superstes. nam quod ultimus reliquiarum eius editor sibi visus est detexisse eandem fabulam in Naevii bello poenico — scilicet Aventinum is *ab avibus, quod eo se ab Tiberi ferrent aves,* dictum putabat teste Varrone 5, 43 — quam debili usus sit argumento neminem latet; denique quod Romulus *captato augurio hastam de Aventino in Palatinum iecit* (ita Servius Aen. 3, 46: ceteros testes v. apud Schweglerum 1, 395 adn. 26), utrum propterea confictum sit quod in Aventino ille augurium captarit necne, prorsus incertum est. — sed fuere qui Ennii testimonium tam absonum et ab omni parte incredibile esse putarent, ut critico cultro resecandum curarent, cum praesertim

tullianorum codicum vitia ad medicinam adhibendam invitarent. ac sane vitiosa sunt haec quae in codicibus extant omnibus:

in monte Remus auspicio se devovet atque secundam
solus avem servat: at Romulus pulcher in alto
quaerit Aventino, servat genus alte volantum.

expulsis igitur quae metrum turbare videbantur illis *in monte* Ciceronis editores veteres scripsere *hic* (vel *hinc*) *Remus* e. q. s., at Ennii paenultimus editor expulsis eisdem mancum reliquit versum horum primum statuitque versum integrum ante eum excidisse. hoc quoque ultimus editor ut alia multa de illo traxit, quem idem plane nihil in instaurandis his reliquiis praestitisse proclamavit, nisi quod lacunam paulo commodius posse circumscribi sibi visus est, si tradita verba cum coniectura vetere contaminaret. scripsit igitur

hinc in monte Remus ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑
— ⏑ ⏑ *auspicio se devovet* e. q. s.

quod duplicem lacunam statuendi artificium, dum aliae evadendi viae patent, vel duo probabunt vel nemo. ego uno vocabulo expulso sic scripserim:

in monte Remus auspicio se devovet atque
solus avem servat: at Romulus pulcher in alto
quaerit Aventino e. q. s.

quod ut statuam, primum hoc me movet quod quid possit excidisse, plane non adsequor, deinde quod *avem secundam servare* parum apte dictum mihi videtur. nam qui servat avem non servat secundam, verum qualiscumque intra templi fines advolaverit. neque longam ablativi ultimam puto quemquam offensuram esse, cum praesertim in arsi compareat. hoc solum negotium facessere largior quod Aventino *mons* opponitur omisso nomine. verum crediderim montem eum, in quo postmodo urbs roniulea condita est, potuisse montis vocabulo significari eique altum Aventinum, quem inter pagos montibus urbis Romae circum iacentes fuisse notum est, apte opponi. quodsi quis hoc nolit admittere, unicum erit remedium quod placuit editori paenultimo, ut illa *in monte* resecentur tanquam laceri archetypi supplementum a lectore vetere adscriptum. verum utut est: confiteamur oportet libere ennianam permutatarum sedium rationem non solum singularem esse verum prorsus carere certa explicandi ratione.

cetera omnia ego equidem in codicibus tullianis recte tradita esse existimo. sed manum de tabula: hoc mihi maxime agitandum sumpsi ut ne amplius inperite de horum codicum fide iudicaretur neve historiarum memoria iusto longius ab annalibus Ennii arceretur.

Datum Regimontii m. Decembri a. 1884.

3 0112 106068056